



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XVIII. De sancto Hadriano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

In Marty-
rol. 2. 3. A.
9. 11.

medio ventre transfixo, & in mare proiecto. Sicuti & illam picturam pro Symbolica habet Baron, qua S. Georgius effingitur eques armatus qui hastæ cuspide draconem interficit, iuxta quem virgo posita manus supplices tendens implorat auxilium; putat enim virginem illam exprimere typum provinciæ aut ciuitatis alicuius quæ aduersus diaboli vires tanti martyris impleret auxilium. ita planè hic symbolizare licebit, vt nempe procera statura inuictum animi robur in exquisitissimis tormentis perferendis significet, quæ etiam tormenta, tempestates huius sæculi quod est veluti mare æstuans, non ineptè denotant; puerulusque pari ratione in humeris residens indicat quòd vt nomine ita & re verâ verus fuerit Christophorus siue Christiferus, sicut ipse Decio imperatori animosè respondit, dicens: Antea quidem Adocimus id est, reprobus, dictus fui: nunc verò Christiana religione imbutus, Christophorus appellor; vnde æquū est vt quod nomine refero id re ipsa declarem. Declarauit rectè per inuictā patientiā vt meritò ipsi. Prophetiçū istud possis accinere: Secundum nomen tuū sic & laus tua. Festū eius colitur 25. Iulij. Venerandè autē eius reliquiæ asservātur in Ecclesia Toletana. Plures verò diuersis in locis ab antiquo sacras habet memorias; vt Cordubè in Hispania, Rauēnè in Italia, Coloniè in Germania, item 27. in Fræcia; imò & in Græcia atque alibi alias.

C A P V T XVIII.

De Sancto Hadriano.

DE sancto Hadriano Nicomediensi glorioso martyre qui inter quinque suprâ nominatos Tutelares vnus est, nihil hætenus legi vel audiui peculiariter propositum nostrum concernens, nisi quòd diuersis locis

cm̄m

eam depictum cum reliquis quatuor sæpius viderim. Sed fateor iuuenis sum. & pauca hæc hactenus quantum minus omnia, legi vel audiui. Non dubito maiores nostros legitimas causas habuisse quibus moti eundem martyrem supra memorato numero adiunxerint: hæc potissimum in provincia nostra Belgica ubi sacræ eius reliquiæ honorificè asservantur & magno tum provincialium tum etiam exterorum concursu religiosè visitantur, ut iam ipsa civitas (antiquitè Gerardi aut Gerardi-mons) ob illustria Martyris beneficia, non aliter à plerisque nominetur quàm Ad Sanctum Hadrianum in Flandria. Habent archiua monasterij (Benedictinorum est) & Gerardi-montensium, resque ipsa clarior est quàm ut probatione indigeat, tota nostra regione id ipsum comprobante, innumera miraculorum beneficia Deo operante per hunc martyrem olim fuisse exhibita; inter quæ probabiliter pestilentia non semel propulsio, iniquitate temporum dicam an scriptorū negligentia, ut sæpius alibi, hæc ipsa nobis hactenus invidete. Certè hoc audacter affirmaverim, maiores nostros nō nisi legitima de causa hunc sanctū Martyrem potius quàm alium quempiā Sanctorū in specialem patronū pro avertenda peste sibi delegisse, qui pestem atrocissimā, nempe sæculū blandiens cum vxore pulcherrima & nobilissima nobilissimus miles calcavit & superavit. Antonius Saderus recens planè huius temporis scriptor in Hagiologio suo Flandriæ quod hoc anno edidit ita de S. Hadriano: Gerardi-mons oppidū est Flādriæ versus Brabantiam, intra muros habet insignem Abbatiam Benedictinorū anno 1095. à Manasse Episcopo Cameracensi in vico declivi inchoatam, & anno proximè sequenti in oppidum translata petente Roberto Hierosolymitano Flandriæ Comite. Ad hanc Abbatiam sancti Hadriani reliquiæ ex Raulicuria Hannoniæ pago anno 1110, ab Eubaldo sunt translatae.

locus

In notal.
SS. Belgij.

locus frequentibus claruit miraculis tantoque hominum
piè peregrinantium concursu vel vsque in hodiernum
diem frequentatur, vt Abbatia & oppidum ipsū S. Ha-
driani nomē quodammodo induerint. Reges ipsos huc a-
liquando adventasse narrat in suis antiquitatum Gerardi-
montēsiū commentarijs Ioannes Waesbergius. ita San-
derus. sed clarius & vberius Ioannes Molanus qui instar
omnium & præ omnibus in sacra Belgica historia haberi
debet. Is de Sancto Hadriano 8. Septemb. ita ait: Huius
martyris reliquiæ, vt multorum sinceritas attestatur, allatæ
sunt transmontanis partibus in villam Rauli-court, Geral-
di-montensibus vicinam, quæ ob merita & beneficia Mar-
tyris amplissimis est terminis dilatata, & ibidem Ecclesia
præbendarijs investita Canonicis: sed cū peccatis ho-
minum exigentibus villæ & oppida destruerentur, Eccle-
siæ etiam prophana temeritate spoliarentur, Rotnacensis
Ecclesia suo Sancto Hermete est priuata. Diuina autem
clementia S. Hadriano tutissimum receptaculum provi-
dit. Vnde tandem furto ereptus est à quodam Eubaldo
presbytero, qui patronum venalem fecit in Geraldi-mo-
nte viginti quatuor marcis. Cū autem monasterium &
populus ad tantum pretium expauescerent, cum thesauro
Bruxellam recessit. vnus ex plebe Theodoricus dicebat se
libentiùs crassam vaccam empturum quàm ossa arida:
qui paulò post obiit & indecenter inter Ecclesiam huma-
tus est, sed rugientibus, vt creditur, dæmonibus, cadaver
abiectum est. Interea abiens Bruxellam Eubaldus, in via
est in visu hebetatus, vnde ad montem monasterio conti-
guum redijt & ex varijs signis didicit Dei voluntate cor-
pus sacrum ibi permansurum: regreditur proinde ad vil-
lam & conuentione facta duodecim marcas à populo, &
quatuor bonaria terræ sub annali censu duodecim num-
morum ab Ecclesia possidenda recepit. Cū autem Abbas
Sevelardus

Sevelardus & vniuersus populus exoptarent veras declarari à Deo reliquias, id ipsum multipliciter sunt cōsecuti, & hoc ordine gloriosus Martyr monasterij patronatum obtinuit intra Geraldii-montem, qui est Flandriæ Imperialis ciuitas, diœcesis Mechliniësis. hætenus Molanus ex libris & informatione Gerardi-montensium. An ergo Gerardi-montenses sacrum hunc thesaurum simoniacè sibi compararunt & etiamnum possident absit suspicari. neque enim pecuniam hanc dedisse putandi sunt tamquam pretium æquiualens sacris reliquijs (esto fortasse iniquus ille presbyter hoc intenderit) sed veluti honestam recompensationem pro labore aut industria præstita in earumdem acquisitione seu delatione. Simonix enim turpitudine non tam sita est in eo quòd per temporalia compares tibi spiritualia, quàm quòd per spiritualia conquiras temporalia, ex illis quæstum faciendo. hoc enim cedit in magnam irreuerentiam spiritualium bonorum, quia ordinantur ad temporalia tamquam media ad finem, ac proinde minoris videntur æstimari: & hoc est quod passim in Scripturis prohibetur. Simon enim volebat emere vt vèderet. Giezi quoque ex spiritualibus temporalia captabat. Qui autem dat temporalia pro spiritualibus quæ gratis obtinere nequit, non destinat spiritualia ad temporalia, sed contrà; vnde pluris æstimat spiritualia. Itaque in hoc opere non videtur alia esse inordinatio quàm quòd dando pecuniam videatur quis consentire venditioni spiritualium, & pretium temporale exæquare rei spirituali; non enim magis consentit iniquæ venditoris voluatati quàm si confiteatur quis Sacerdoti omnibus suam operam publicè offerenti, quem tamen scit esse in statu peccati mortalis. neque etiam censetur pecuniam æquare reliquijs, quia non dat illam tamquam pretium earum, sed vt medium ad allucendum alium, aut, vt superius dixi, tamquam gratuitam recompensationem. quæ consuetudo semper fuit in Ec-

Vide Less.
l. 2. de iust.
& iure c.
35. dnb. 7.

Matth. 10.
Act. 8.

Vvill. Mal-
mesbur. de
gest. reg.
Ang. l. 2, c.
11.

clesia approbata. ita nominatim legimus Canutum regem
Angliæ & Daniæ Româ domum redeūtem apud Papiam
brachium S. Augustini Doctōris cētum talentis argenti &
talēto auri sibi cōparasse ac Conventriâ misisse. passus est
autē illustrissimus martyr Hadrianus sub Diocletiano Imp.
Nicomediæ cum alijs viginti tribus post varia supplicia
crurifragio martyrium consummans 4. Martij. solennior
tamen eius festiuitas celebratur 8. Septemb. quo die sacrum
eius corpus Nicomediâ Româ translātū fuit vbi honorifi-
cam habet memoriâ. inter antiquissimas vrbis diaconias
annumeratâ. Hæc scripseram defectu amplioris notitiæ de
S. Hadriano, & iam opere absoluto properabat ad prælum
hic liber seu ad prostitutionem publicâ publica hæc mea
Apotheca, cū de improviso offertur mihi libellus P. G.
de Prètere eodem argumento, sed breuiusculè & quasi in
vngue recens editus. in quo vix aliud à me prius nō adno-
tatū deprehendere potui quàm quod de præsentī hoc S.
martyre Hadriano ex libello miraculorū eiusdem per D.
Philippum Hannoize ita refert Flandrico idiomate, quod
in Latinum transtuli. Anno Domini 1514. tam atrox pesti-
lētia Luxemburgum depascebatur vt quotidie diem inter
& noctem circiter 50. ac 60. personę absumerētur. Quæsitā
sunt remedia quamplurima; sed ab ijs nihil remedij ob-
tentum. Instituta itaque solennis supplicatio est & votum
factum de mittendo Gerardi-montes ad S. Hadrianum
argenteo corde. Vix votum conceperant, & confestim
omnis illa contagio cessauit, neque deinceps quispiam ab
ea die ex eadem mortuus est: sed & infirmi omnes pristina
sanitati sunt restituti. Votum postea quamprimū com-
modè licuit vnanimi deuotione adimpleverunt, anno sci-
licet eodem quo illud cōceperant, 1514. die 18. Maij. Quod
autem idem de Prètere ex Molano ad diem 8. Septemb.
refert, Theodoricum vaccam pinguem aridis ossibus præ-
eligentem, peste percussū fuisse, ac statim post præter
omnige-

omnigenos morbos etiam pestem eiusdem Sancti meritis fuisse propulsatam, obscure vix author ille innuit. nam de Theodorico hoc solum narrat, eum post hunc blasphemie iocum, paulo post obiisse. quod an præcisè de peste intelligendum sit, viderint alij. de reliquis miraculis ne verbum quidem pestem expressè concernens habet. Non dubium tamen hanc sæpius per eum fuisse fugatam, ut antè dixi: qua de causa in specialem Patronum est adsumptus.

CAPVT XIX.

*De S. Macario Patriarcha Antiocheno Gandavi
quiescente contra pestem magno Tutelari.*

Alia claritas Solis, alia claritas Luna, & alia claritas
stellarum; stella enim à stella differt in claritate. Sic & 1. Corinth.
resurrectio mortuorum, & gloria sanctorum, & fama^{15.}
miraculorum. attamen — Micat inter omnes

*Virginis sidus, velut inter ignes
Luna minores.*

Famiosiores contra pestem Tutelares sunt illi quinque; supra nominati. sed non minus potentes neque minus colendi quos iam subijcere instituo: nisi fortasse eò minus actu potentes, quia minus actu coluntur. sed communis vulgi est, imò omnium pænè hominum, in notiora propendere,

Quemque minus sentis, est minor huius amor.

Verum eò magis illustrationi similium Sactorum incumbendum est; & ecce illo fine facio, si tamè verbulo te prius admonuero me in hac ferie contentiosum illum finem non trahere ut disputem aut iudicem quis Sactor Sancto maior sit, ne quis suspicetur me ea de causa, subsequenti ordine eos recensere. pro oportunitate & nata occasione id facio non ex præsumpta autoritate iudicis aut censoris. semper enim mihi displicuit & modestis omnibus iure displicet, zelosum istud studiū (utinam scientiā & iudicio, nam ho-